

BARTHOLOMÆI PITISCI  
GRVNBERGENSIS

PROBLEMATUM  
GEOGRAPHICORUM

Liber Unus.

P R A E F A T I O.

**A**D Geographiam pertinet doctrina de supputandis distantijs locorum: ex data ipsorum longitudine & latitudine. Est autem longitudo loci nihil aliud, quàm distantia meridiani per illum locum transeuntis, à meridiano primo, qui statuitur in insulis fortunatis: & numeratur illa distantia in equatore: ab occasu per meridiem versus ortum. Latitudo loci, nihil est aliud, quàm distantia verticis loci, ab equatore versus meridiem, aut septentrionem: & numeratur in meridiano per loci propositi verticem transeunte: ac semper convenit cum elevatione poli, supra horizontem illius loci. Caterùm, supputantur quidem distantia locorum etiam per penult. primi Euclid. sive per 50. p. primi nostri. h. e. per Triangula plana: at quia superficies terræ non est plana, sed rotunda: rectius supputantur per Triangula Sphærica. In quibus notandum: singulis gradibus circuloꝝ maximorum, circa globum terræ ducentorum respondere milliaria Cermanica 15. Quod, vel inde patet: quia si 15. milliariibus propius ad Septentrionem accedas, polum septentrionalem uno gradu altius, quàm antè, supra horizontem elevatum esse deprehendes.

P R O B L E M A P R I M U M.

Datis duobus locis sola latitudine differentibus, eorum distantiam invenire.

C A.